



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

II. De Vi Conditionalis seu Metu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

stissima sit; cum odiô rei, qui vim inferendô Rempublicam perturbare temere ausus est: tum verò exposcente necessitate probationis: cuius aliunde deficientis inopiâ vim atque injuriam passus actor, si ad juramentum super rerum ablatarum quantitate & æstimatione præstandum non admitteretur, jacturam & irreparabile damnum saepe pateretur.

Neque, re verè æstimata, hunc procedendi modum difficilem reddit contra eum deductarum rationum prior; quia ipsa violentiæ notorietas & probatio, odiûmque spoliationis & spoliati miseria justissimam causam præbent admisioni ad juramentum; ne delictum maneat impunitum, & probationis aliunde deficientis inopiâ in rebus suis detrimentum patiatur innocens: & nocens seu violentus invalore ex iniquitate sua lucrum reportet. Minus urget posterior; quia ex eadem notorietate & probatione violentiæ orta præsumptio alterius probationis & adminiculi locû est; ut, sicut is, qui intentione vel exceptione suam probavit semiplenè, *c. fin. §. Sanè de Jurejurando*, sic etiam passus vim, cum de ista legitime constat, ad juramentum super rerum ablatarum quantitate vel æstimatione, iudicis taxatione ad æquitatem reductâ, præstandum admittatur, ut ad *cit. Tit. 24. n. 20.* statuetur.

## ARTICULUS II.

### De Vi Conditionalis seu Metu.

#### SUMMARIUM.

11. *Definitio Metus:*
12. *Qui à causa necessaria vel libera, justè injussteve,*
13. *Ad actum extorquendum, vel aliò sine inferri potest.*

14. *Metus alius Gravis, alius Levis est:*
15. *Quorum ille magni,*
16. *Quod minitans illaturus judicatur:*
17. *Isse minoris mali intentione inferatur.*
18. *Metum Reverentialem gravem esse, quidam affirmant:*
19. *Verius alii negant:*
20. *Nisi vultus aut verborum asperitas importuna preces & similia,*
21. *Ad gravem metum inducendum alicui non sufficientia, accedant.*
22. *Gravis metus est, quicumque passum graviter perturbat,*
23. *Arbitrio iudicis prudentis.*

**V**is Conditionalis & Impulsiva dicitur illatio Metus: qui secundum Ulpianum est mentis trepidatio instantis seu mox futuri periculi causâ, *l. 1. ff. Quod metus caus. gest.* sive passio & motus animi, imminens aliquod malum fugientis; ut, si quis librum petenti & si non det, mortem minitanti illum tradat, ita ve aliquid promittat. Quò casu & quoties ad imminens, quod timemus, malum evitandum aliquid agimus, licet id, quod movet & impellit, extra nos plerumque sit, principium tamen actionis est in nobis violentibus & agentibus id, quod nollemus & non ageremus, si imminens mali periculum abesset. Unde Metus voluntarium ac liberum non tollere, sed solummodo diminueret; & coacta voluntas esse voluntas dicitur, *l. Si mulier 21. §. 5. ff. Quod metus causâ gest.*

Provenit autem Metus quandoque à causa necessaria, v.g. à morbo, periculo naufragii vel alio simili principio Naturali: quandoque à libera, ut si ab homine incutiatur. Ab ista rursus aliquando justè, aliquando injustè inferitur. Justè inferri dicitur, cum, qui eum patitur,

G g g g g

titur,



- titur, ei suâ improbitate causam præbuit, vg. committendô flagitium, propter quod carceris, torturæ aut pœnæ legitimè infligendæ timore angitur: injustè verò, cùm innocens & nihil mali promeritus alienâ, mortem, mutilationem vel aliud malum minitantis, improbitate vexatur: aut, cùm ei causam præbuit, ita vexatur indebitè, & contra Jus, vg. à privato ejusmodi malum aliquod minitante, *arg. c. Veniens 15. de Sponsal. & Matr. & l. Nec timorem 7. §. 1. ff. Quod metus*
- 13. causâ gest.** Hujusmodi autem malum aliquando eò fine; ut promissio contractûs vel alius actus extorqueatur: aliquando aliò fine intentatur: quantumvis, qui metum patitur; ut malum sibi intentatum evitet, ad promissionem, contractum, vel alium actum, tanquam ejus mali depellendi medium, eligendum inducatur,
- 14.** Porro metus, à quacunque causa incussus, famigeratâ & apud JC I. os pariter & TT. receptâ partitione, alius Gravis, alius Levis nominatur.
- Gravis sive justus &, ut tritâ phrasi eum laudato Ulpiano *l. Metum 6. ff. hic eum nuncupamus*, in virum sive hominem constantem cadens metus est, qui patientem ita movet & percellit; ut eum, tametsi aliàs fortis & constans sit, à proposito valeat dimovere: ad quem Metum tres conditiones à DD. requiri solent.
- 15.** Prima est, ut sit *majoris malitatis*, ut dicitur *l. cit.* id est, mali gravioris, puta mortis, mutilationis sive amputationis alicujus membri, atrocium verberum vel corporis cruciatûs, *c. Cùm dilectus 6. l. Continet 3. l. Nec timorem 7. §. 1. ff. l. Si per vim 4. & l. Si donationis 9. C. vinculorum sive carceris diuturni, exilii, captivitatis, servitutis sive amittendæ libertatis, l. Ego 4. l. Nec ti-*

*morem 7. §. 1. cit. l. Ipsi 8. §. 1. & l. Qui in carcerem 22. ff. Rubr. cit. stupri intercedi; cum probis istius major quàm ipius mortis sit metus, l. Ipsi cit. §. 2. amissionis statûs honorifici, Gloâ in c. cit. V. Metum, amissionis fortunarum sive honorum omnium vel majoris eorum aut valde notabilis partis, magni patrimonii; cùm enim bona quodammodo vitæ hominis sint, l. Advocat. 14. junctâ Gloâ V. Vitam G. de Advocat. divers. judic. eorum jactura morti aliquò modo æquiparatur, Tiraquell. de Nobilit. cap. 31. n. 369. infamiae Juris, l. Nec timorem cit. §. 1. aut etiam Facti, si gravis sit, etque facillè occurrere non possit; quia *Molius est nomen bonum, quàm divitiæ multa*, Proverb. cap. 22. v. 1. & propterea à multis, sicut istarum, sic etiam bonæ famæ jactura morti æquiparatur, *arg. l. Justa 9. ibi, Si periculo vitæ famæque ff. de Manumiss. vind. excommunicationis injustæ; cum omnium, quas Ecclesia habet, gravissima pena sit, c. Cùm non ab homine 10. de Judicis, infamiam notam afferat apud eos, qui injuliam ignorat; & propterea merito maxime perire sit timenda, can. Sententiam 11. q. 3. Azor cit. cap. 10. à q. 3. & Sanchez Lib. 4. de Matr. disp. 4. n. 17.**

Neque refert, an hujusmodi malum aliquod quis sibi, vel uxori, liberis aut parentibus, *l. Ipsi cit. §. fin. & licet cundum aliquos etiam fratribus, sororibus: imò etiam personis aliis sanguine vel alia valde arctâ necessitudine connectis vereatur, arg. l. cit. Anchoranus in c. Cùm dilectus cit. n. 7. Francus in c. in 6. n. 8. & aliis DD. relatis cit. Sanchez disp. 4. n. 8.*

Secunda conditio ad gravem metum requisita est, ut eum incutiens facillè valeat, & executurus judicetur minas ejus vel alterius mali similis illi, quod est mi-



est minatus: aut saltem, quod minatur, executurus ex circumstantiis rationabiliter existimetur, Pontius *Lib. 4. de Matr. cap. 2. n. 8.* & Palao *Tract. 2. disp. 1. p. 7. n. 4.*

Tertia, ut metum patiens ejusmodi mali magnam habeat æstimationem: & id difficulter, aut omnino non avertere possit vel evitare, *l. Non est 23. pr. ff. hic*, ut iidem docent.

17. Levis, sive improbabilis &, ut passim DD. loquuntur, in constantem virum non cadens metus est, qui eam vim non habet; ut patientem animò fortem à proposito valeat dimovere; quòd fit mali non magni v.g. objurgationis, levis jacuræ: vel magni quidem, sed quòd homo etiam parùm potens v.g. puer, femina, imbecillis senex id intenet: vel, etiam, si mali magni sit, intentetur ab eo, qui minas non executurus existimatur, quòd verbis minas intentare & ponere, malumque, quod verbis comminatus est, factò non exequi solitus sit, ut iidem docent.

Non desunt, qui gravis mali comminationem, ad gravem & in constantem virum cedentem metum inducendù, non sufficere, asserant: nisi minis intentatum aliòdve grave malum, qui minatus est, solitus fuerit inferre; quòd ex rescripto Imperiali, *Metum non iactationibus tantùm vel contestationibus, sed atrocitate facti probari conveniat*, *l. Metum 9. C. De his, que vi metûsve, ut ibi voluit Bartolus n. 1. Salycet. n. 2. Panormit. in c. Causam 17. de Offic. deleg. n. 5. Covarruv. p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 6. n. 4. cit. Sanchez disp. 1. n. 21.* & apud hunc alii. Verùm, esto, gravis metus non inducatur comminatione factâ ab eo, qui malum, sicut minitari, sic non inferre minasque non exequi solitus est; quòd tali casu non ja-

ctationes & verbosæ contestationes, sed deficiens facti atrocitas sit attendenda: ad gravem tamen metum inducendum necessarium non est; ut malum, quod minitandò verbis intentat, exequi solitus fuerit: sed sufficit, quòd ejusmodi malum verbis seriò intentatum, idque qui minatus est, exequendi animum habere, & executurus existimetur: licet eum minas exequi aliàs solitum ignoretur; cum utique gravis & in constantis animi hominem cadens sit metus mortis, nisi, quod præcipit, exequaris, minitandò intentatæ à viro forti & armato, de quo an minas aliquando executus, aut etiam alicui minatus sit, ignoratur, Pontius *Lib. 4. de Matrim. cap. 2. n. 8.* & Palao *Tract. 2. disp. 1. p. 7. n. 9.*

Dubium est, an gravis & in constantem virum cadens sit metus, quem vocant *Reverentialem*, ut esse cenletur filii, uxoris, subditi respectu patris, mariti, domini, superioris; eum enim pro gravi cum Glossa *in can. Unusquisque 8. V. Saltantium 22. q. 4.* Imola *in c. Causam cit. n. 8.* & Bartolo *in l. Qui in aliena 6. §. fin. ff. de Acquir. hered. n. 5.* habent Navarrus *ad hanc Rubr. Consil. 10. n. 4.* & Menoch. *de Arbitr. casu 136. n. 8.* & contra pro gravi metu habendum, cum Glossa *in c. 1. V. Consentit de Despons. impub. Panormit. in c. Causam cit. n. 5.* & Interpp. alii negant Sylvester *V. Metus n. 2. Covarr. cit. §. 6. n. 6.* Gutierrez *de Jurament. p. 1. cap. 1. n. 15.* &, plurimis DD. congestis, cit. Sanchez *disp. 6. n. 7.* Moventur in utramque partem Jure & ratione.

Et illi quidem ex Jure allegant *l. 1. ff. Quorum rer. act. non dat. l. Cum quis si sciret 91. ff. de Furtis & l. Velle 4. ff. de R. I. quorum textuum primi §. 5. Metui & nimia Reverentiæ in patrem eadem vis tribuitur ad cogendum: Alterò ei, qui vi.*

18.



qui visò furtò ob magnam verecundiam tacet, furtum fieri asseritur; quòd ob ejusmodi verecundiam gravi metu & in rei ablationem non nisi coactè consensisse, intelligatur; ac proinde furti agere valeat: postremò, *Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini.* Rationem reddunt; quòd, si reverentia in talem personam non sufficeret ad inducendum metum gravem & cadentem in constantem virum, sed ad hunc inducendum necessarius esset accessus minarum, ulla differentia non esset inter metum ejus, cui debetur reverentia, & cujuscunque extranei; cum à quocunque facta gravis mali comminatione gravis & in constantem virum cadens metus inducatur; & iste non inducatur, si mali comminatio absit.

¶ Isti verò ex eodem Jure adducunt Imprimis textus *can. Puella 20. q. 1. & c. Ex litris 11. de Despons. impub.* quorum utroque puella metum passa non censetur ex sola reverentia: sed priori; quòd coacta imperiò parentum: posteriori; quòd eorum minis fuerit impulsiva: deinde *c. fin. Qui Clerici & Vovent.* ubi relatus Innocentius III. pro valido habet votum, à puella emissum præceptò Regiò & parentum, reverentià debità Regiò & parentibus non obstante: *c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* quò loco pactum renuntiationis, factum in favorem patris, ratum habetur, si juramentò nec vi, nec dolò præstitò fuerit firmatum, non obsecurò indicio, ultra reverentiam patri debitam vim dolúmve accedere oportere, ut juramentum, quasi gravi metu præstitum, infirmum reputetur; & demum *l. Fidejussor 26. ff. de Pign. & hypoth.* cujus §. 1. filius, quod mandante patre fecit, metu fecisse negatur, non obstante ad mandatum reverentiæ accessione. Rationem etiam ipsi reddunt; quòd sola

reverentia patri, marito, domino debita tanti momenti non esse videatur; ut constantis animi hominem graviter percellat.

Ex duabus his Opinioniibus præferendam cenfeo posteriorem: atque, ut metus Reverentialis contractum aliterve actum, tanquam gravi & in constantis animi hominem cadente metu gestum, nullum aut infirmum sive rescissioni obnoxium reddat, ultra filii, filiarum, uxoris vel subditi pudorem & reverentiam considerari existimo asperitatem vultus, indignationem, exprobrationem, malam tractationem, rixas, aut talium subditorum rationabilem existimationem, vel importunas & repetitas preces; sed propter deductos aliòsque similes roboris inde accedit; quòd, si ad gravem & in constantis animi hominem cadentem metum inducendum sufficeret solus pudor & verecundia, quam pati quis timet, si consensum neget, à liberis, uxore, subditis initi contractus & actus alii plerique invalidi aut rescissioni obnoxii forent; cum gravi metu se impulsos facile probarent asserendò, se ob reverentiam sive pudorem & verecundiam negare aut contradicere non aulos: quòd alienum est à communi sensu, & à Jure etiam, filii aut filia in sponsalia, solum præsentium nomine à parentibus contracta, consensum liberum ac spontaneum desumente ex sola illorum taciturnitate, *c. & §. fin. de Despons. impub. in 6.* pudore & verecundià non obstantè.

Neque, solà reverentià gravem & in constantis animi hominem cadentem metum induci, persuadent *ll. cit.* Prima; quia ejus §. 5. hujusmodi metum inducendi vis tribuitur Reverentiæ in patrum non cuivis, sed *nimis*, sive immodicæ & excessivæ; quòd conjuncta fuerit



fuerit cum alterius mali minis vel existimatione, Zoesius *ad hanc Rubric. ff. n. 12.* Secunda, sive *l. Cum se sciret*; quia eâ agitur de consensu tacito seu præsumptio, qui refultat ex taciturnitate: & ex ista in actu naturâ suâ præjudicio ac nocivo regulariter non præsumitur in eo, qui reverentiam debet; quod præsumptio consensus orta ex taciturnitate cedat præsumptioni contrariæ, ex reverentia ortæ, tanquam fortiori, Duarenus *in ff. ad hanc Rubr. cap. 1.* Tertia, sive *l. Velle cit.* quia eâ comprehensâ Regula ita exaudienda est; ut, quod filius aut servus agit imperiõ patris vel domini, his potiùs obsequendi studiõ quàm suõ impulsu fecisse, intelligatur: non tam; quod coactus, quàm; quod imperantis voluntati obsequendi studiõ ductus id fecerit; atque idcirco quod patris vel domini imperiõ factum est, istis potiùs quàm filio aut servo imputetur; quod hi ratione patriæ vel dominicæ potestatis parere habuerint necesse; & propterea in delictis non atrocibus eis indulgeatur, *l. Ad ea, que 157. ff. de R. L.*

21. Minùs quàm textus urget ratio; quia, licet ex sola reverentia ortus non gravis, nonnullus tamen & levis saltem est metus, qui gravis evadit, si accedat vultus torvitas, indignatio vel asperitas verborum, precum importunitas & similia, ad metum gravem inducendum aliàs non sufficientia in persona, qua reverentiam non debet.

22. Duo hoc locò DD. passim & rectè observant. Prius est, an metus gravis aut levis sit, saltem in ordine ad voluntarium magis aut minùs diminuendum, ex qualitate non tantùm mali, secundùm se spectati: sed etiam personæ id inferentis, & præsertim patientis defumendum; quia utique feminam, puerum, aut senem leve malum sæpe magis movet &

perturbat, quàm fortì animo virum aut juvenem majus, Navarrus *Manual. cap. 22. n. 51.* Menochius *de Arbitr. casu 135. n. 4. & cit. Sanchez disp. 1. n. 21.* Posterius, an idem metus gravis aut levis sit, in dubio relinqui arbitrio iudicis & prudentum, ponderantium tantùm ipsius mali, quàm personarum hoc intentantium & patientium qualitatem, ut colligitur ex *l. Metus 3. ibi, Sed hujus rei disquisitio iudicis est, ff. Ex quibus causis major, Glossa in c. Cum dilectus cit. V. Metum, Panormit. in c. cit. n. 80 Sylvester V. Metus q. 1.*

### ARTICULUS III.

## De Actuum Metu gestorum Valore & Firmitate.

### SUMMARIUM.

24. *Gesta metu levi in Foro externo firma sunt.*
25. *In interno ea rescindi aliqui negant.*
26. *Melius alii affirmant.*
27. *Quin eò lapsa Ecclesia aliquando succurrit in externo.*
28. *Firma sunt gesta gravi metu à causa necessaria.*
29. *Et à libera justè incussò.*
30. *Interest, an actus jure irritus sit, vel irritandus.*
31. *Extorta metu injustè valida.*
32. *Sed obnoxia rescissioni sunt.*
33. *Sive jus sive ratio spectetur.*
34. *Sive metus ad ea extorquenda.*
35. *Sive aliò sine.*
36. *Etiam ab aliquo tertio.*
37. *Et materialiter solùm injustè.*
38. *Etiam sine animo malum inferendè fuerit incussus.*

H h h h

39. Fi.